

*de defectu virtutum Christi inter Tyr. & Sid.*

81

*nitentiam, non est querenda in absoluta & simplici Eudonia, siue beneplacito divino, antecedenter Vires ad conversionem necessarias illis denegante, sed unice, & formaliter in malitioso contemptu, divinoque iudicio eundem debite vindicante. Non negamus, bene concludere Spanhemium contra M. Amyraldum, dum ejus hypothesin de particularitate manifestationis internæ ex absoluto decreto dependente urget contra universalitatem gratiæ divinæ, quam ex objectiva saltem, & externâ manifestatione probare voluit, non enim nisi illusoria est gratia, quæ media quidem externa ad salutem facientia indulget, interim vires ad media amplectenda summe necessarias ex percemptorio quodam decreto maximæ hominum parti denegat; Sed hoc ipsum taxamus in Spanhemio, & affectis, nec non Amyraldo ipso, quod præsupposita licet objectiva, & externa manifestatione inter Bethsaidenses, & Chorazinos negant, Christum non intendisse simul, & unâ interne eis manifestare mysteria regni sui, sed manifestationem hanc eis plane denegasse, ut credere non potuerint, ex defectu interna illius manifestationis. Contrarium evinci potest ex textu, & indole manifestationis externa admota Galilæis; sit ex textu hoc argumentum; qua expositione stante gravissima Christi exprobratio vertitur in meram illusionem, illa utique cum textu minus congruit, prout versa vice illa congruit, qua stante vigorem suum obtinet Christi invectiva; At stante expositione Adversariorum de manifestatione internâ Bethsaidanis, & Chorazitis verbum quidem audientibus, miraculaque Messiana spectantibus, ex absoluto decreto denegata, vertitur gravissima Christi exprobratio in meram illusionem &c. Ergò. Majorum vix audebit negare Spanhemius, ipse enim summopere laborat, ut salvetur Christi exprobratio. Minor fit evidens ex ipsis terminis, nam manifestatio interna, quæ denegata dicitur Galilæis istis, ita necessaria est ad conversionem, ut absque ea nullum habere possit locum; deinceps ita se res habet cum manifestatione illâ internâ, ut in nullius hominis viribus sit, eandem acquirere, ut non nisi ex indebita, neminique obstrictâ gratiâ divinâ conferatur, cuicumque confertur. Confirmatur hinc minor propositio, quia facile excipere potuissent Bethsaidani & Chora-*

L 2

Chora-